

tes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere audent hominibus: nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beate vivere. Sed non intrabant per ostium: perdere volebant, mactare et occidere. »

158. SCHOLION. Quanta porro bona Christus per doctrinam suam mo-

ralem, seu legem evangelicam orbi praestiterit, et quidem prae omni philosophia veterum gentium (idem quoad potissimam partem etiam intelligendum est prae philosophia, id est, doctrina morali recentiorum incredulorum), perquam erudite ostendit cl. Nonnolle (1).

## SECTIO V.

### DE ANTILOGIIS APPARENTER TALIBUS ET ADHUC ALIIS DIFFICULTATIBUS QUAE IN QUATUOR EVANGELIIS OCCURRUNT

Equidem quasdam antilogias apparenter tales (2), variasque alias de quatuor evangelis difficultates iam in praecedentibus sectionibus solvimus: restant tamen adhuc complures, quarum magnum numerum praecipue ad refellendos incredulos sequentibus duobus capitibus diluimus.

#### CAPUT I.

*De antilogiis apparenter talibus, quae apud quatuor evangelistas occurrunt.*

159. ANTILOGIA I. S. Matthaeus (3) ait: OMNES ITAQUE GENERATIONES AB ABRAHAM USQUE AD DAVID, GENERATIONES QUATUORDECIM: ET A DAVID USQUE AD TRANSMIGRATIONEM BABYLONIS, GENERATIONES QUATUORDECIM: ET A TRANSMIGRATIONE BABYLONIS USQUE AD CHRISTUM, GENERATIONES QUATUORDECIM. Et tamen in prima, et secunda tesseradecade (id est, ab Abraham usque ad David, et a Davide usque ad transmigrationem Babylonis) tantum ter decies repetit verbum GENUIT, adeoque tantum tre-

(1) In Diction. philosoph. de la religion, p. 1, voce: Chrétiens, art. 7.

(2) Vide supra sect. 3, cap. 3, q. 28, n. 114-127.

(3) Cap. 1, v. 17.

(4) Comment. in Matth. c. 1, v. 17.

(5) Matth. c. 1, v. 17.

decim generationes in singulis harum duarum serierum enumerat. Nonne hoc est sibimet ipsi contradicere? R. Nulla hoc loco realis antilogia, sive contradictio est. Nam ab Abraham usque ad David, proprie quidem sunt tredecim tantum generationes, cum solum terdecies in illa prima tesseradecade dicatur genuit, et generatio non sit, nisi cum unus alium genuit. Nihilominus merito evangelista quatuordecim dicit esse generationes, quia ab Abraham usque ad David inclusive sumptum quatuordecim sunt personae generantes et genitae. Quare, ut Cornelius a Lap. (4) recte observat per generationes accipiendae et numerandae sunt personae omnes tam generantes, quam genitae: haec enim, ut dixi, sunt quatuordecim. Id quoque confirmatur ex textu graeco (5), in quo non est vox γενεαι, generatio: sed γενεζ, hoc est progenies, genus, familia etc.; quasi diceret: ab Abraham usque ad David progenies quatuordecim etc. Ex eadem causa a David usque ad trans-

migrationem Babylonis erant generationes 14, non annumerando Davidem, utpote qui iam ad primam tesseradecadem, seu quaterdecadem pertinet.

160. DICES: Saltem in secunda aut tertia tesseradecade non nisi tredecim generationes numerantur; nam si Iechoniae generatio adnumeratur secundae tesseradecadi, tunc in tertia tesseradecade tantum remanebunt tredecim generationes: si vero Iechoniae generatio adnumeratur tertiae tesseradecadi, tunc in secunda tantum tredecim generationes erunt; uti rem hanc consideranti patebit. Hanc difficultatem teste Cornelio a Lap. Comment. in Matth. c. 1, v. 12, olim Porphyrius Christi et christianorum hostis, eis obiectabat velut inextricabilem. R. Et dico, a Davide usque ad Iechoniam, non vero usque ad Iechoniam inclusive sumptum esse quatuordecim generationes. Verisimilior enim est sententia eorum, qui cum s. Euziphano censent, sacrum textum originaliter sic habuisse: Iosias autem genuit Ioakim (seu Iekoniam): Ioakim vero genuit Iechoniam; ac revera Weigelius teste Hermanno Goldhagen (1) e vetusto graeco exemplari hanc lectionem producit. Ratio huius ulterior est, quia Iechonias non filius, sed nepos Iosiae fuit. Nam Iosias genuit quatuor filios, Iohanan, Ioakim, Sedeciam et Selum (2). Horum secundus (nempe Ioakim) genuit Iechoniam et alium Sedeciam (3). Quapropter hoc loco errorem unius e primis et antiquissimis librariis seu descriptoribus sacri textus agnoscere cogimur, a Iosia ad Iechoniam, omissis Ioakimo, ob similitudinem nominum trans-euntis: Ioakimus enim (4) fratres

habuit Iohanan, Sedeciam et Selum; Iechonias vero non fratres, sed unum dumtaxat fratrem, Sedeciam iuniorem. Porro Iechonias etiam dicitur Iochin nomine patri suo vicinus, sed ex eo dignoscendus, quod Ioakimus pater per k et m, Ioakimus filius per ch et n tam in textu hebraico, quam latino scribitur: a Iosia igitur genitus fuit Iekonias seu Ioakimus, et ab hoc Iechonias seu Iochinus. Hunc autem utrumque, id est, tam patrem quam filium a s. Matthaeo scriptum fuisse, illud argumento est, quod omissis Iekonia seu Ioakimo, numerus sibi non constaret ab ipso evangelista fixus, ut allata obiectio observat: nec enim generationes quatuordecim in qualibet tesseradecade prodirent; prodeunt autem, si sic ponatur: Iosias autem genuit Iekoniam; Iekonias vero genuit Iechoniam, ut e subiecta tabella patet.

1. Abraham	4. Salomon	1. Iechonias, seu Iochim
2. Isaac	2. Roboam	2. Salathiel
5. Iacob	5. Abias	5. Zorobabel
4. Iudas	4. Asa	4. Abiud
3. Phares	3. Iosaphat	3. Eliachim
6. Ebron	6. Ioram	6. Azor
7. Aram	7. Ozias	7. Sadoc
8. Aminadab	8. Ioatham	8. Achim
9. Naasson	9. Achaz	9. Eliud
10. Salmon	10. Ezechias	10. Eleazar
11. Boos	11. Manasses	11. Malthan
12. Obed	12. Amon	12. Iacob
13. Iesse	15. Iosias	15. Ioseph sponsus Mariae, e qua natus
14. David	14. Iekonias, seu Ioakim	14. Iesus Christus

SCHOLION. Eodem ferme modo, sed brevius obiectam difficultatem solvit Cornelius a Lap. (5), qui nihil de errore a primo aliquo librario in describendo sacro textu commisso dicens, id solum observat, non esse unum eundemque Iechoniam, de quo sermo est Matth. 1, v. 11 et

(1) P. 3 Introduct. in s. Scriptur. n. 19.

(2) I. Paral. c. 3, v. 15.

(3) Ibid. v. 16.

(4) I. Paral. c. 3, v. 15.

(5) Comment. in Matth. c. 1, v. 11.

12, sed illum priorem fuisse patrem posterioris, utrumque tamen dictum esse *Iechoniam*, licet prior seu pater proprie dicendus fuisset *Iekonias* per *k*; posterior vero, seu eius filius *Iechonias* per *ch*. Nimirum, ut idem cl. interpret ait, in nominibus propriis multa talia immutata videmus. Hoc autem supposito, salvantur 14 generationes a *Salomone* usque ad *Iechoniam*, id est, *Ioakimum* patrem, et aliae 14 generationes a *Iechonia*, id est, filio *Ioakimi* usque ad Christum ex *Maria* natum; prout consideranti patebit.

161. ANTIL. II. *Matthaeus in genealogia Christi* (cap. 1 v. 8) dicens: IORAM AUTEM GENUIT OZIAM, manifeste contradicit libris *Paralipomenon*, ex quibus habetur, tres inter IORAM et OZIAM intercessisse generationes, nempe OCHOZIAM, IOAM, et AMASIAM. *Ioram enim genuit* (I. Paralip. 3, v. 11 et 12) *Ochoziam, Ochozias Ioam, Ioas Amasiam, Amasias vero Azariam sive Oziam: iste enim erat binomius*. R. Turpiter errat *Dumarsais* (1), qui haec nobis obiicit. Nam s. *Matthaeus* absque crimine falsi, aut nota contradictionis tres illos reges omittere potuit. In factis enim publica iam notitia divulgatis nihil dubitant historici medias quasdam circumstantias omittere, et in genealogiis retexendis necessarias dumtaxat ad scopum suum personas commemorare. Sic plures ab *Esdra* omissos fuisse intelliges, si libri I. caput secundum conferas cum capite septimo libri II. Hanc libertatem profanos quoque scriptores sibi sumpsisse in recensendis veterum monarchiarum regibus, testantur *Grotius* et *Lightfoot* apud *Calmetum* (2).

(1) Vide cl. *Nonnotte*, loc. cit. art. *Evangelio*, in responsione ad obiectiones incredulorum contra veritatem evangelii, n. 5.

Si autem causam, ob quam tres illi reges praetermissi a s. *Matthaeo* fuerint, quaeras, verisimillimam petes ex peculiari maledictione a Deo in *Achabi* posteritatem bis pronuntiata (3), ob quam tres illi reges, qui erant nepotes ex *Athalia* eiusdem filia et *Amri* nepte geniti, quasi e numero regum deleti cenfebantur. Hinc etiam valde probabile est, quod hi reges, populo plurimum exosi, e monumentis regni erasi sint, et expuncti e publicis familiarum tabulis in templo asservari solitis, e quibus s. *Matthaeus* genealogiam Christi exscripsit. Praeterea idem evangelista, cum vellet servare numerum ter quatuordecim in recensione progenitorum Christi, debuit tres e regibus reticere, qui in ea enumeratione abundabant, uti cum s. *Hieronymo* multi interpretes observant: rationem vero, cur tres istos potius omitteret, quam alios, sufficientem habuit modo assignatam.

Denique, si ulterius quaeras, cur s. *Matthaeus* memoratum numerum elegerit, et genealogiam Christi in tres quaterdecades diviserit? Respondent passim patres et interpretes, hanc rationem assignando, quia s. evangelista voluit triplicem populi iudaici statum recensere, primum sub patriarchis et iudicibus, alterum sub regibus, tertium sub ducibus et pontificibus; siquidem ab *Abraham* post *Moysen* et *Iosue* usque ad *Saul*, cui primus ex stirpe Iuda in regno successit *David*, populus gubernabatur a iudicibus: a  *Davide* usque ad transmigrationem babilonicam erat sub regibus; post transmigrationem babilonicam usque ad Christum sub ducibus et

(2) Comment. in *Matth.* c. 1, v. 8.

(3) III. Reg. c. 21, v. 21. Et IV. Reg. c. 9, v. 8.

pontificibus. Veniente autem Christo supremo iudice, rege, ac pontifice cessavit dicta ratio, quae debuit in Christo, qui regnum attulit aeternum, terminari.

162. ANTIL. III. *In genealogia Christi apud Lucam* (cap. 3, v. 23 et seqq.) extant quindecim generationes, plures a  *Davide* usque ad Christum, quam apud *Matthaeum*; quod iterum fieri nequit sine contradictione inter *Lucam* et *Matthaeum*. R. Etiam hic turpiter errat *Dumarsais* (1), istud obiiciens. Nam omnis haec apparens contradictio evanescit, si attendatur, quod s. *Matthaeus* genealogiam Christi a  *Davide* texat descendendo per *Salomonem* usque ad *Iosephum* sponsum *Mariae*: s. *Lucas* vero ascendendo a Christo ad *Davidem* per *Nathanem* alterum *Davidis* filium, ut proin progenitores Christi ac generationes aliae sint, pluresque esse possint a  *Davide* per *Nathanem* usque ad Christum, quam per *Salomonem* usque ad Christum. Neque diversitas illa numeri generationum apud duos illos evangelistas est nimia; quia apud s. *Matthaeum* tres generationes (nempe *Ochozias*, *Ioas* et *Amasias*) omissae sunt, ut numero praecedente diximus: proin differentia inter unam et alteram genealogiam consistit dumtaxat in numero duodecim generationum: atqui non inusitatum est intervallo undecim vel duodecim saeculorum (quot fluxere a  *Davide* usque ad Christum, ut videri potest in tabula chronologica s. Scripturae in fine dictionarii biblici a *Calmeto* conscripti) unam familiam seu stirpem duodecim generationes plures numerare, quam familiam alteram. Sic enim diffe-

rentia in uno saeculo tantum erit circiter una generatio. Praeterea ad eiusmodi differentiam inducendam alio opus non est, quam ut coniugia in una familia paulo longiorem remoram patiantur, quam in altera.

163. ANTIL. IV. *Nec Matthaeus* (ait *Bolyngbroke* in *examen important* etc.), *nec Lucas* texit genealogiam *Mariae*, sed *Iosephi*, cum tamen dogma christianorum sit, Christum ex sola *Maria* et non ex *Iosepho* secundum carnem descendere. Praeterea *Matthaeus* pro patre *Iosephi* assignat *JACOBUM*: et pro patre *JACOBI* *MATHAN*: *Lucas* vero *Iosephi* patrem ait esse *HELI*, et huius patrem *MATHAT*. *Paucis*: *Lucas* cap. 3 longe aliam Christi genealogiam texit, quam *Matthaeus* cap. 1. R. Eandem obiectionem iam ante quatuordecim saecula *Iulianus* apostata christianis opposuit, et *Bolyngbroke* aliique increduli nostra aetate tantum recoquunt antiquam crambem diu a s. *Hieronymo*, et interpretibus s. Scripturae passim (2) confutatam. Unde, ne longius me detineam, breviter respondeo, ac inprimis dico, quod s. *Matthaeus* cum genealogiam s. *Iosephi* ex  *Davide* descendentis directe ostendit, eo ipso etiam indirecte B. V. *Mariae* et *Christi* ex  *Davide* descensum secundum carnem ostendit, ut ss. patres, nominatim *Hieronymus*, *Chrysostomus*, *Hilarius*, scribentes in hunc locum s. *Matthaei* recte observant. Rationem afferunt, quia apud hebraeos lege (3) cautum erat, ne vir uxorem, aut foemina virum ex alia tribu aut familia assumeret, quam ex sua: quae lex illas praecipue foeminas spectabat, quae prolis masculae defectu ex asse haeredes erant pater-

n. 54 et 55, *Bollandistas* in *Propylaeo* maii, etc.

(3) Num. 56, v. 7, 8.

(1) Vide cl. *Nonnotte*, loc. cit.

(2) Vide *Calmetum* dissertat. ante comment. in *evang.* s. *Lucae*, *Hermannum Goldhagen*, part. 5 introduct. in s. *Script.*

norum honorum, ut clare indicat ratio legi subiecta: *Ut haereditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus*; quam legem, quin religiose observarint *Maria et Ioseph* eiusdem sponsus, dubitari non potest. Cum igitur B. Virgo desponsata fuerit s. *Iosepho*, de eadem tribu et familia fuere uterque, id est, s. *Maria et s. Ioseph*; praesertim quod B. Virgo dicatur fuisse proles unica *Ioachimi* patris. Ergo, cum s. *Matthaeus* recensuit genealogiam s. *Iosephi*, hoc ipso indirecte ostendit progeniem B. Virginis et Christi ex domo *David*, ac de tribu *Juda*.

Quod autem attinet genealogiam Christi a s. *Luca* descriptam, ea iuxta omnes est genealogia non s. *Iosephi*, sed B. V. *Mariae*; ut patebit legenti interpretes. Caeterum magna probabilitate non caret systema *Cornelii a Lap.*, iuxta quem non solum s. *Lucas*, sed etiam s. *Matthaeus* textit genealogiam *Mariae* matris *Iesu*; s. *Matthaeus* quidem per lineam b. Virginis maternam; *Lucas* vero per eiusdem lineam paternam. Sicut enim *Mathat* genuit *Heli* seu *Ioachim* patrem b. Virginis; ita *Mathan* a s. *Matthaeo* recensitus, genuit praeter *Iacobum* s. *Iosephi* patrem, etiam *Annam* matrem b. Virginis. Unde *Matthaeus* et *Iosephi* et *Mariae* genealogiam simul textit.

Dixi *Mathat* genuisse *Heli* seu *Ioachim*; nam haec tria nomina *Heli*, *Heliacim*, *Ioachim* sunt aequivalenter idem nomen (1).

Praeterea neque est contradictio, dum s. *Matthaeus* patrem s. *Iosephi* dicit esse *Iacobum*: *Lucas* vero eiusdem patrem videtur dicere esse *Heli*; nam haec verba, qui fuit *Heli*,

(1) Vide cl. *Goldhagen* loc. cit. n. 55, aut *Calmeli* dictionar. bibl. v. *Heli*.

(2) Vide Institutiones theologicas, cl. *Iosephi Widmann*, tom. 5, § 14.

non appellant ad s. *Iosephum*, sed ad *Christum*, ita ut sensus sit: *Iesus (qui putabatur filius Ioseph) fuit Heli*, id est, nepos *Heli* seu *Ioachimi* patris *Deiparae* (2).

164. COROLLARIUM I. Obiectio de contradictione *Matthaei* et *Lucae* in texenda genealogia Christi, non est nova, nec a naturalistis, aliisque incredulis nostrae aetatis primum excogitata: sed eam iam olim *Iulianus* apostata christianis opposuit, quam christiani doctores pridem refutarunt. Controversia critica hodie solum in eo est, quaenam ex variis diversorum auctorum solutionibus melior sit, et aliis praeferenda. Aliud enim systema in hunc finem amplexus est *Iulius Africanus*, aliud *Calini*, aliud *Cornelius a Lap.*, quae omnia in compendio refert cl. *Iosephus Widmann* (3).

COROLLARIUM II. Etiam si non possemus clare ostendere modum conciliandi genealogiam a s. *Matthaeo* scriptam cum genealogia Christi a s. *Luca* exarata: nihilominus de veritate utriusque genealogiae nullatenus dubitandum foret. Evangelistae enim (praescindendo etiam ab ipsorum inspiratione divina) nec falli, nec fallere poterant (4) in texendis hisce genealogiis; quia hebraei cautissimi erant, et diligentissimi in notandis, ac in tabulariis publicis asservandis genealogiis, eorum maxime, qui ex tribu *Juda* et stirpe *David*, ex qua nasciturum *Messiam* noverant, descendebant. Unde et *Iosephus* (5) iudaeos praeter caeteris nationibus in hoc exactos plurimum laudat. Et tamen iudaeorum nemo unquam sive *Matthaeo*, sive *Lucae*, cum genealogiam Christi texerent, eumque ex tribu *Juda*

(3) Loc. cit.

(4) Vide supra sect. 2, n. 20 et 21.

(5) L. 1 contra *Appionem*.

et stirpe *David* descendere demonstrarent, obloqui ausi sunt. Profecto si hae genealogiae in evangeliiis *Matthaei* et *Lucae* descriptae falsae fuissent, nihil iudaeis aevi illius facilius esse poterat, quam horum evangelistarum falsitatem detegere, atque ita omnem in reliquis etiam rebus fidem iisdem derogare. Cum ergo nihil tale in evangeliiis nostris deprehenderint iudaei, dicendum restat, veritatem hanc tunc fuisse meridiana luce clariorem. Porro *Celsus*, *Porphyrus*, et *Iulianus*, qui saeculo secundo, tertio, et quarto nonnulla hac de re obiecerunt, nihil unquam solidum contra ecclesiae fidem attulerunt. Unde prorsus absurdum et impudens est, hodie post 18 saecula de genealogia Christi a *Matthaeo* et *Luca* descripta tricari, cuius veritatem omnes etiam hebraei evangelistis coevi, omnesque proxime, et continuata serie sequentes agnovere, exceptis paucis quibusdam philosophis gentilibus, aut apostatis, qui a ss. patribus et interpretibus orthodoxis pridem refutati fuere.

165. ANTIQ. V. *Textus hebraeus, et vulgata latina* (Genes. 10, v. 24. Item Genes. 11, v. 12.) *Cainan* omittunt, et sic contradicunt evangelistae *Lucae*, qui (cap. 3, v. 35 et 36) eundem *Cainan* in genealogia Christi medium inter *Arphaxad* et *Sale* ponit; sicut etiam *LXX* interpretes illum dicto modo (Genes. 10, v. 24 et Genes. 11, v. 12) medium ponunt. R. I. Quamvis in textu hebraeo et in nostra vulgata loc. cit. *Geneleos Cainan* omittatur; is tamen *Genes*. loc. cit. apud *LXX* interpretes (sicut *Lucae* loc. cit.) ponitur medius inter *Arphaxad* et *Sale*, sat claro indicio, *Cainan* posse poni vel omitti in sensu mox explicando. R.

(1) Cap. 1, v. 8.

(2) Vide supra num. 165.

(3) *Iudith*, c. 8, v. 4. Item, 1. *Esdrae*

II. Non officit veritati duorum codicum, si unus exprimat aliquid, quod alter omittit: obstaret quidem, si quod unus exprimit, alter negaret.

NEQUE DICAS, satis colligi, quod textus hebraeus et vulgata latina loc. cit. *Genes*. negent, *Cainanem* esse intermedium inter *Arphaxad* et *Sale*; quia dicunt, *Arphaxad* genuisse *Sale*. Ne, inquam, hoc dicas; nam, sicut s. *Matthaeus* (1) in genealogia Christi dicens, *Ioram* genuisse *Oziam*, et sic omittens *Ochoziam*, *Ioam*, et *Amasiam* reges *Juda*, qui inter *Ioram* et *Oziam* erant medii (2), ideo non negavit tres istos reges: sic dicendum, in textu hebraeo et nostra vulgata, dum loc. cit. *Genes*. dicitur *Arphaxad* genuisse *Sale*, non negari *Cainanem* inter *Arphaxad* et *Sale* esse medium, sed solum poni genitorem mediatum pro immediato, avum respectu nepotis, *Arphaxad* respectu *Sale*. Phrasi enim hebraea omnes nepotes vocantur filii vel geniti suorum avorum aut aliorum remotiorum progenitorum, ut ex non paucis s. *Scripturae* locis (3) patet. Hinc etiam non mirandum, quod *LXX* interpretes, qui *Genes*. 10, v. 24 *Cainanem* ponunt inter *Arphaxad* et *Sale*, pariter eundem *Cainanem* *Genes*. 11, v. 12 et 13 sic ponant. Vide polyglotta biblia *Philippi II* Hispaniarum regis catholici mandato, opera vero *Benedicti Ariae Montani* in lucem edita.

Si porro *QUAERAS*, cur *LXX* interpretes *Genes*. loc. cit. et s. *Lucas* in evangelio suo distincte ponant *Cainan* medium inter *Arphaxad* et *Sale*; textus autem hebraeus, et vulgata latina eundem *Genes*. loc. cit. omittant? R. *LXX* interpretes, et s. *Lucas* rem expressius volentes

c. 5, v. 4. Item lib. 4. *Paralip*. primis 10 capitibus.

describere, dixerunt, *Arphaxad genuisse Cainan*, hunc vero genuisse *Sale*, ut sciretur, qui fuerit ipsius *Sale*, pater immediatus: ipsi autem LXX senes id iam sciverunt ex traditione certa, vel ex libris genealogiarum apud iudaeos asservatis. *Moyse* vero in textu hebraeo libri *Genesis* (quem nostra vulgata sequitur) *Cainanem* praetermisit; vel ut generationum seriem usque ad *Abrahamum* in certas decades distribueret; vel ob aliam nobis incompertam causam: ferme sicut *Matthaeus* (1), quasdam generationes omisit, sive numerare voluerit per *tessaradecades*, ut fert communis (2) opinio, sive praetermiserit illos, quia ortos ex *Iezabele* detestanda foemina gentili, ut *s. Hilarius* (3) censet.

Denique si **QUAERAS**: Quomodo *Arphaxad* 35 annos natus (4) potuerit habere *Sale* filium; siquidem respectu huius ille fuerit avus, et non pater? *Id fieri potuit*, si cum *Genebrardo* (5) dicatur, quod *Arphaxad* anno aetatis suae decimo octavo genuerit *Cainanem*, et quod *Cainan* anno aetatis suae decimo septimo genuerit *Sale*. Sic enim verum est, quod *Arphaxad* anno aetatis suae trigesimo quinto habuerit *Sale* filium, id est, nepotem.

166. **ANTH.** VI. *Evangelista Lucas* (cap. 2, v. 2) *Christum ait natum sub praeside Syriae CYRINO, censum ex Augusti Caesaris decreto exigente; cum tamen ex historia certum sit, sub tempus Christi na-*

(1) Cap. 1, v. 8. (2) V. supra n. 161.

(3) Comment. in Matth. c. 1.

(4) Genes. c. 11, v. 12.

(5) In chronico ad annum mundi 4639.

(6) Ita docent card. *Norisius* apud *Pogium* in apparatu chronol. ad annales *Baronii*, pag. 51, numero marginali 129 *Bollandistae* tom. 19 in *Propylaeo*, ad acta *Ss. maii* pag. 21, n. 7. edit. antverp. *Petavius* ration. temp. l. 4, c. 2, et de do-

*scantis non Cyrinum, sed Saturninum, et post hunc Quintilium Varum fuisse Iudaeae praesides; ut omnes eruditi norunt.* Ita *Bolyngbroke*, et *Dumarsais* incredulorum primores. *Id est*. Variarum a variis auctoribus responsiones dantur ad hanc apparentem antilogiam dissolvendam. Melior et communior videtur esse illa dicentium (6), *Saturninum* tunc fuisse quidem ordinarium Syriae et Iudaeae praesidem: *Cyrinum* tamen (alio nomine *Cyrenium*, vel *Quirinium*, aut *Quirinum* dictum; ut *Cornelius* a *Lap.* in cap. 2 s. *Lucae* observat) cum imperio extraordinario ad censum peragendum in Syriam missum esse eo tempore, quo ex edicto Caesaris pacatus orbis describi debebat, ut *Caesar* universorum, qui vel subditi, vel socii essent populi romani, numerum ac facultates nosse posset. *Cyrinus* quippe vir consularis circa idem tempus agebat in oriente, ac bellum contra *Hamodanenses* feliciter (7) confecerat, adeoque ob recentem victoriam celebris: unde licet *Sentius Saturninus* tunc Syriam administraret, *Cyrino* tamen tanquam extraordinario procuratori et legato in executione rerum ad censum pertinentium subordinatus fuit: ita etiam *Germanicus* circa annum urbis 767 et 769 censui Galliarum intentus fuit, etiamsi non esset legatus ordinarius Galliae, ut videre est apud *Tacitum* (8). Caeterum, quod *Cyrinus*, quando primam illam descriptionem, cuius *s. Lucas* meminit, non fuerit proprie praeses

etrina temp. l. 12, c. 8. *Daude* histor. univers. tom. 1, pag. 507. *Ioan. Bapt. Duhamel* comment. in *Luc.* c. 2, v. 2, et in *Act.* c. 5, v. 56, pluresque alii. — Ex recentioribus consule *Patritii* de Evangelis lib. 5, diss. 18; *Frib. Brigg.* 1835, *Herder* et *laud.* opuse. *Vita di Gesù Cristo* etc. pag. 248 seqq. *Nota Editoris.*

(7) *V. Tacit.*, ann. l. 5. (8) *Annal.* l. 4

Syriae, sed dumtaxat censor, seu Caesaris legatus ad censum illum ineundum specialiter constitutus, etiam inde colligitur, quia vox graeca *κυρινοειδης*, qua *s. Lucas* hoc loco *Cyrini* munus significat, tum ordinariis, tum etiam aliis magistratibus dari solet. Sic enim eadem vox a *s. Luca* in actis apostolorum cap. 24 *Felici* tribuitur, qui non nisi procuratoris officium habuit. Hinc etiam *s. Iustinus* *Apol.* 2, memoratum *Cyrinum* seu *Quirinium* vocat *πρωτοπρον*, id est, procuratorem, non praesidem.

167. **INSTANT.** Si illa descriptio universalis totius orbis, quemadmodum *Lucas* tradit, facta fuisset, ethnici scriptores de ea mentionem fecissent; sed nullam mentionem fecerunt. *Prob. min. Tacitus* et *Suetonius* rerum romanarum historici exactissimi nec verbulo mentionem faciunt (ut *Dumarsais* inquit) de illa prima descriptione Iudaeae facta sub *Cyrino*: ergo est conficta. *Id est*. Et cum *cl. Nonnotte* (1) dico, *Dumarsais* hic turpiter prodere inscitiam suam, ac palam demonstrare, a se nec *Tacitum*, nec *Suetonium* fuisse lectos, aut saltem non rite intellectos. Quis enim prudens descriptionem orbis, quae sub Augusto contigit, in analibus *Taciti* quaerat, cum hic scriptor dicti imperatoris gesta ne quidem recenseat, sed (2) pauca dumtaxat de ultimis vitae *Augusti* diebus commemoret? *Suetonius* vero vitam caesarum quidem edidit, sed ita, ut eorum genium et indolem potius, quam seriem rerum durante imperio gestarum recenseret: unde pariter mirandum haud est, quod illius census et descriptionis sub *Cyrino* factae non meminere.

Caeterum de illa universali de-

(1) In *Diction. philos.* art. *Evangile*.

(2) *Annal.* l. 1.

(3) In l. v. c. 2 s. *Lucae*.

scriptione totius orbis sub *Caesare Augusto*, cuius *s. Lucas* loc. cit. meminit, *Grotius* (3) ita disserit: *Non ita (hoc) intelligo, quasi uno eodemque tempore factus esset census per totum orbem, qua romanus erat; sed cum Augustus omnem vim imperii romani pernosse vellet, per omnia regna et provincias constituit censum agi, modo hic scilicet, modo illic, ut commodum erat.* Hoc autem pluribus monumentis ex antiquitate depromptis idem scriptor deinde confirmat. Iuxta huius ergo auctoris sententiam *s. Lucas*, prius habita mentione descriptionis universalis, quam *Augustus* praeceperat, quaeque non simul omnis, sed modo in uno loco, modo in altero facta fuit, ad peculiarem descendit per *Cyrinum* in Iudaea peractam omnium primam. Hoc autem si ponatur sicuti revera aequo iure poni potest, nulli rursus est admirationi locus, si ethnici de hac descriptione mentionem non habuerint, cum ea sensim, et modo in uno, modo in alio loco peracta fuerit. Praeterea alia adhuc causa esse potuit, cur huius universalis descriptionis apud auctores ethnicos nulla mentio occurrat, quia, uti *Tillemontius* (4) observavit, solus *Dion* accuratam historiam *Augusti* scripsit: huius autem historiae primi decem anni perierunt, intra quorum spatium iussu *Augusti* hic census peractus fuit.

168. **SCHOLION I.** Recte contra deistas *cl. Cerboni* (5) observat, *s. Lucae* loc. cit. id potissimum fuisse propositum, ut eam descriptionem narraret, quae *Caesare* iubente, in Iudaea tempore nativitate Christi facta fuerat, ut dubitari non potest. De hac ergo si constiterit etiam confessione eorum qui christi-

(4) In *Hist. D. N. I. C.* art. 2, adnot. 2.

(5) Loc. cit. q. 2, art. 6, p. 286.

stianae religioni adversabantur, habemus, quod modo volumus. Atqui de hac descriptione testati sunt ipsi etiam infensissimi christianorum hostes, iudaei et ethnici. Sic in dialogo cum *Tryphone* iudaeo num. 78 s. *Iustinus* inquit: *Sed cum census in Iudaea tunc primus haberetur sub Cyrenio; ex oppido Nazareth, in quo degebat, Bethleem, unde erat oriundus, profectus est (s. Ioseph), ut censeretur. Nam ex tribu Iuda hanc terram incolente genus ducebat.* Cum ergo s. *Iustino* res esset cum *Tryphone* iudaeo, a quo refelli facile poterat, si rem incertam vel dubiam, ut certam atque ab omnibus receptam assumpsisset; evidentissimo argumento esse debet, quod de censu tempore nativitatis Christi facti in Iudaea per *Cyrenium* s. *Iustinus* tradidit, nemini iudaeorum dubium fuisse. Similiter de censu *Augusti*, inquit *Tertullianus* (1) antiquissimus scriptor, quem testem fidelissimum dominicae nativitatis romana archivaria custodiunt. Neque solum *Tertulliani*, sed etiam s. *Ioannis Chrysostomi* tempore ex archivis romanis hac de re constabat. Nam hic s. pater (2) explicans illa verba Luc. cap. 2, *Factum est enim in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis etc.*, ita habet: « Ex his liquet, primae descriptionis tempore natum esse (Iesum). Et cui veteres historiarum codices, qui et Romae publice asservantur, lectitare libeat, perfacile etiam tempus huius descriptionis accurate discere poterit. » His ergo monumentis, quae apud ethnicos asservabantur, de huius descriptionis

(1) L. 4 adversus Marcionem, c. 7.

(2) Homil. in diem natalem D. N. I. C. n. 2.

(3) Comment. in Luc. c. 2, v. 2.

veritate constabat, neque etiam ipsi ethnici de ea dubitare poterant, et si dubitassent (quod sane nullibi significarunt) inepte inperiteque dubitassent. Quapropter ut, quod volumus, modo concludamus, quacunque demum ratione ea descriptio accipiatur, quam s. *Lucas* tempore nativitatis dominicae sub *Cyrino* factam fuisse narrat; tamen illud negari non potest, tum apud iudaeos, tum apud ethnicos certum fuisse, quod legitur apud s. *Lucam* de descriptione facta sub *Cyrino* per Iudaeam.

SCHOLIUM II. Si etiam modo solum humano res perpendatur, praesumptio veritatis stat pro evangelista *Luca*, quia erat scriptor synchronus, Antiochiae metropoli Syriae iisdem temporibus, quibus haec gesta sunt, oriundus. Unde, ut *Maldonatus* (3) aliique observant, ei magis credendum, quam aliis historicis qui tempore posteriores scripsere; quamvis etiam cum horum testimoniis narratio s. *Lucae* apte conciliari possit; ut supra memorati auctores patroni nostrae sententiae (4) praestant. Accedit, quod si narratio s. *Lucae* falsa fuisset, eam coaevi hostes christianae religionis, iudaei ac ethnici illico falsitatis arguissent (5): sed hoc non fecerunt, sed potius contrarium; ut in praecedente Scholio I. demonstravimus.

169. ANTIL. VII. Iuxta evangelistam *Matthaeum* (cap. 1, v. 23 et 25) *Iesus natus est ex Virgine, quae iuxta christianos etiam post partum Virgo permansit: et tamen (Matth. 12, v. 47) dixit quidam Christo: ECCE MATER TUA, ET FRATRES TUI FORIS STANT, QUARENTES*

(4) Consule supra n. 166 in nota (6), citatos auctores.

(5) Vide supra num. 164, Coroll. 2.

TE. Et (Matth. 13, v. 56) *Christus dicitur habuisse SORORES. Quomodo haec concordant? Si enim Christus habuit FRATRES, eius mater post nativitatem Christi genuit alios filios, qui erant et dicebantur fratres Christi.* Ita anonymus ille, qui in scriptis suis ad cl. dom. *Christoph. de Zabuesnig* datis, se officialem bellicum Boruss. dicit, et ad cuius obiectiones ac dubia iam saepius (1) respondimus, et in quaestionibus biblicis Novi Testamenti adhuc frequentius respondebimus. Itaque R. et dico, veterem esse hanc obiectionem haeresiarchae *Helvidii* negantis, b. Virginem post Christi partum mansisse Virginem, quem s. *Hieronymus* fuse refutavit. Quare sciendum, per *fratres Domini* intelligi in evangelio non filios ex s. Iosepho et Deipara genitos, sed Christi cognatos tantum, phrasi hebraeis familiari. Sic (2) dixit *Abram* ad *Loth* nepotem suum: *Ne, quaeso, sit iurgium inter me et te... fratres enim sumus.* Et (3) *Laban* ad *Jacob* nepotem suum ait: *Num, quia frater meus es gratis servies mihi? Fratres ergo Christi Domini in evangelio dicuntur ii, qui erant ipsius consanguinei ac consobrini; sicut per sorores eius intelliguntur Christi cognatae, non autem sorores stricte tales.*

170. INSTAT I. Anonymus ille scriptor, et ait: Ipsa etiam nomina fratrum Christi sunt nota: vocabantur *Jacob, Ioseph, Simon* et *Iudas*; prout expresse habetur Matth. 13, v. 55. Sed eadem responsio, quam iam dedimus, redit. Erant nimirum illi et vocabantur *fratres*, id est, cognati Christi Domini; prout hunc locum *Cornelius a Lap.*, caeteri-

(1) Vide Scriptur. s. contra incredulos propugn., V. T., part. 3, n. 17, in nota, et alibi.

que interpretes orthodoxi recte intelligunt et exponunt.

171. INSTAT II. idem adversarius, et ait: Teste *Luca* evangelista (4), *Maria peperit filium suum PRIMOGENITUM*, nempe Christum: sed imperceptibile est, quomodo Christus sit *primogenitus Mariae*, si haec non etiam genuit alios, sive si non datur eiusdem secundo, vel tertio genitus, etc.; sicut imperceptibilis foret prima dies, primus mensis, si nulla alia dies, nullus alius mensis succederet. Ita anonymus ille se assertum suum liquide demonstrasse somniat. Verum misere decipitur, nec ex eo, quod Christus *Mariae primogenitus* dicatur, per legitimam consequentiam inferri potest, quod *Maria* habuerit alios praeterea filios aut filias. Nam *primogenitus* ille dicitur, ante quem nullus est genitus, sive dein post illum alius gignatur, sive non. Sic in veteri Testamento offerri Deo debuit primogenitus, et primo post partum mense redimi, ut habetur num. 18, v. 16. At si primogenitus non esset nisi is, post quem alius vel alii sunt geniti, oblatio ac redemptio primogeniti potuisset ultra primum mensem differri, usque dum alius nasceretur; antea enim iuxta obiectionem adversarii nondum constare potuisset, utrum prior ille foret primogenitus. Haec sequela cum repugnet s. Scripturae, ac proin falsa sit, et reiicienda, hoc ipso patet, quod primogenitus sit ac vere dici possit, qui primo gignitur, etiamsi nemo alius post eum ex ipsius matre gignatur. Talis enim gaudet iuribus et privilegiis primogeniturae. Unde quando s. *Lucas* de b. Virgine ait, *peperit*

(2) Genes. c. 15, v. 8.

(3) Genes. c. 29, v. 15.

(4) Luc. 2, v. 7.

filiū suū primogenitū, non sequitur, Mariam post hunc alios peperisse filios, sed solum, eam ante hunc nullum alium genuisse.

Caeterum paritas de prima die, vel primo mense, quam adversarius in obiectione affert, prorsus nihil probat. Quamvis enim de facto, ubi dies vel menses sibi succedunt, prima dies habeat plures dies sibi subsequentes, et primus mensis alios menses sibi subsequentes; tamen id non est de essentia primae diei, vel primi mensis. Si enim Deus statim post primam diem, vel post primum mensem totum universum destruxisset; adeoque nulla alia dies primam diem, vel nullus alius mensis primum mensem fuisset subsecutus: tamen illa dies, quae destructionem mundi praecessisset, fuisset prima, vel ille mensis fuisset primus; cum ante illam diem vel mensem in hac hypothesi non fuisset alia dies, vel alius mensis prior. Paritas ergo allata potius est pro nobis, quam contra nos.

172. ANTIL. VIII. *Historia evangelica de stella magis in oriente visa* (Matth. 2, v. 2), et de infanticidio Herodis (ibidem v. 16) conciliari nequit cum historia Iosephi iudaei, aliorumque profanorum scriptorum, apud quos de utroque illo tam extraordinario ac publico facto altum est silentium. R. I. et inverto argumentum: Nullatenus verisimile est, quod s. Matthaenus haec facta confinxerit; cum non potuerit hierosolymitanis persuadere, omnem tum civitatem ad adventum magorum fuisse commotam (1) dicentium se vidisse stellam in oriente:

(1) Matth. c. 2, v. 2.

(2) Vide supra n. 25.

(3) L. 2 Saturnaliorum, c. 4.

(4) Vide supra num. 25.

(5) Vide Huetium demonstrat. evangel. propos. 9, c. 15, pag. 506.

aut Herodem tam barbaram in bethleemitas infantes saevisse, nisi haec reipsa ita contigissent. R. II. Nego assertum, scilicet, quod nullus ex scriptoribus profanis de his factis scripserit. De stella enim a magis visa testatur Chalcidius philosophus platonius (2).

173. Quod autem caedem infantium attinet, quae, iubente Herode, in evangelica historia facta legitur, eandem narrat Macrobius (3), prout pariter et in eodem loco (4) ostendimus. Quanta igitur incredulorum temeritas ac impudentia est, post octodecim ferme saecula verisimilia non putare, quae s. Matthaenus synchronis et rei gestae testibus citra contradictionem enarravit: quae ipsi gentiles scriptores Chalcidius (an Chalcidius fuerit gentilis, vide supra num. 23) et Macrobius non ignorarunt: quae denique mundus tot saeculis credidit, et antiquissima festi celebritate quotannis recoluit, et etiamnum colit?

174. NEQUE OBEST, quod Iosephus iudaeus de illis duobus factis taceat. Norunt enim eruditi (5), eum plura alia omisisse, nec semper omnia historici munia exacte implese. Unde doctum et vigilem hac in re censorem habet Iacobum Salianum in annalibus ecclesiasticis. Fors etiam illius silentii causa aliqua fuit ignavum pseudo-politices studium; cum enim indigna adulatione Vespasiano Messiae seu regis in lege veteri promissi nomen ac praerogativam tribuisset, fas forte sibi esse haud putavit de Christo, qui Messias a prophetis praedictus a christianis celebrabatur, frequentius et diversis in locis mentionem facere (6).

(6) Cur autem insigne illud testimonium, cuius supra n. 25 in fine mentionem fecimus, de Christo scripserit, speciales habuit rationes.

175. ANTIL. IX. *Varia de stella illa magis visa sunt astronomiae contraria dubia et incredibilia. Nam I. Si tam extraordinarium sydus apparuisset, veteres astronomi haud dubie illius in tabellis suis astronomicis meminissent: atqui de ea nullam mentionem faciunt. II. Non potest dici, qualis fuerit haec stella, an fixa, an planeta, an cometa? An visa fuerit tantum a magis, vel etiam ab aliis hominibus? III. Cur dicatur VISA IN ORIENTE (1)? Quasi vero stellae non in toto orbis hemisphaerio videantur. IV. Quomodo magi ex stella nativitatem Salvatoris cognoscere potuerint? V. Quid factum est de hac stella, postquam magos Bethleem perduxit?*

R. Etiamsi naturam et qualitates omnes huius stellae explicare non possemus, minime sequeretur, eam non apparuisse. Innumera enim potest Deus facere, et saepe facit, quae nos mortales sufficienter capere aut explicare non possumus, prout non solum ex effectibus supernaturalibus, sed etiam ex multis naturalibus, quorum distincta explicatio nos latet, abunde patet. Interim tamen ad propositas quaestiones et dubia aperte responderi potest, et ab interpretibus s. Scripturae passim respondetur. Ac primo quidem haud mirum est, quod de hac stella nihil legatur in scriptis aut tabulis veterum astronomorum; cum ex una parte omnibus mathematicis notum sit, quam incurii fuerint veteres in annotandis observationibus astronomicis, ex altera parte stella illa respective paucis apparuerit; nec ab aliis hominibus in dissitis locis visa fuerit; quia hoc signum iuxta concordem interpretum, et s. Thomae (2),

(1) Matth. c. 2, v. 2.

(2) In 3 p. q. 56, art. 8.

(3) L. de orthodoxa fide, c. 7.

ac s. Damasceni (3) sententiam, non fuit stella fixa, nec planeta, nec cometa, aut una ex iis, quae sub initium mundi creatae sunt; sed fuit stella artificialis ministerio angelorum ex materia sive coelesti, sive terrestri de integro formata in aëre infimo circa terram, adeoque tantum in locis vicinis visibilis. Porro hoc meteorum seu corpus ex densis vaporibus vel alia materia constipatum, et propter sui rotunditatem et flammam, quas emittebat, stella vocatum, primo visum est in oriente, ubi scilicet magi degebant; quamvis probabilius etiam plures alii, in eadem cum magis regione degentes, eandem viderint. Quod autem non omnes, qui in oriente stellam illam viderant, ad Christum adorandum cum magis profecti sint, ideo contigit, quia vel mysterium non capiebant, vel aliis distenti curis ire nolebant, vel etiam magorum reditum praestolabantur. Magi vero ortum Salvatoris ex signo illius stellae cognoverunt ex vaticinio Balaam (4) praedictantis: *Orietur stella ex Iacob*, cuius Balaami posterii ipsi fuere. Accessit continua maiorum traditio, et huic etiam illustratio superna; prout cum aliis patribus, quos Suarez (5) citat, docet s. Augustinus his verbis: *Hanc stellam... admirati, cuius etiam esset, consequenti revelatione nosse meruerunt, regis videlicet iudaeorum*. Caeterum haec stella prope Hierosolymam se oculis magorum subtraxit: dimissis autem ab Herode ad Christum quaerendum iterum apparuit, eosque adduxit in Bethleem; minime vero eosdem reduxit in orientem, nec coepit lucere in firmamento cum syderibus reliquis, sed dissoluta

(4) Num. 24, v. 17.

(5) T. 2 in 5 part. disput. 14, sect. 5, et 6.